



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Viennam mittitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

*Viennam  
mittitur.*

Collegij Ingolstadiani adesset maturitas. Rex à Pontifice postulauit: eiusq; mandato Ignatius Patres admonuit, vt intra decimum diem, q̄ literas accepissent, iter Viennam ingrederentur, perque alias literas satis Alberto fecit. Et is quidem dolenter eam profectionem tulit; modisque omnibus, imo precibus egit, parumper vt Patres subsisterent, dum socero ipse suo Academiæ illius, totiusq; Bauariæ aperiret statum: sed apud parendi cupidos Religiosos, quos & præscripta vrgebat dies (neq; enim ludificari imperia per interpretationes volebant) dum nihil promouet, id consilij demum cepit, vt misso Romam secretario, reuocando eos curaret. Discessuris autem Patribus quicquid ex vsu erat, & luculentum viaticum dedit: quæ magis recepta sunt, ne benignitas tanta nouo quasi vulnera contristaretur, quam requiri reret indigentia: cum de suis aulicum Ferdinandus misisset, à quo Viennam cum omni humanitate perducerentur. Ergo pridie Kal. Martias, qui dies Dominicus erat, pro concione Canisius populum discessurus ultimum salutauit. Ad quam vocem magna in omnibus excita animorū commotio, multumq; lacrymarum effusum est. Par

fuit

fuit Academiæ totius, atque Eistettenfis Episcopi  
sensus. Sic tamen modestia Patres ambo pruden-  
tiaq; sua rem mitigarunt, & animos leniuerunt,  
vt sumimum desiderium relinquerent sui; nihil  
aduersus Ignatium, ac societatem offensionis, aut  
querelarum. Ceterum in Academia mansit de <sup>Ingolstadtia-</sup>  
<sup>næ Academiæ</sup> Canisij præstantia tam præclara, & excellens opi-  
nio, vt in Annales mox suos retulerint, esse cum <sup>Elogium de</sup> eo.  
virum incomparabilem, diuini propemodum  
ingenij, eruditionis item incomparabilis, Philo-  
sophum eximum, Theologum profundum, le-  
ctionis infinitæ, Oratorem valde eloquentem,  
Ecclesiasten pariter grauem, & iucundum; deniq;  
lumen eius temporis inter Doctores Ecclesiæ. At  
vita iam perfuncto eadem Academia Elogium  
præclarissimum posuit, in quo præter cetera te-  
statur, rem Catholicam mirificè iuuisse, promo-  
uisse: & perpetuam vitæ innocentiam, & summā  
in omni virtute præstantiam, denique admirabi-  
lem sanctitatis opinionem consequutum.

Viennam ante medium Martium attigere;  
perque opportunus fuit aduentus ad sarcendam  
grauem iacturam, quæ paucis post mensibus fa-  
cta est Claudijs Iaij excessu. Is vñus è primis decem

I              fuit